



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Directo-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii

Acquaviva, Claudio

Ingolstadii, 1592

VD16 A 125

Capvt XVIII. De quarta hebdomada.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)

tantum explicitur , tum ob alias causas,tum quia non omnibus eodem modo proponendæ sunt , sed adhibita discretione pro cuiusque complexione , & viribus tam corporis , quam animi . Notandum etiam quod hæ regulæ non solum proponi debet hac hebdomada , sed antea etiam aliquo opportuno tempore : saltem , si tamen prius factum non est , hic declarentur . Fortasse enim in hunc locum dilatæ sunt , ne prioribus hebdomadis nimis oneraretur is , qui in exercitiis versatur , tot documentis extra ipsas meditationes . In hac autem hebdomada multo pauciora sunt eiusmodi documenta , & sic magis vacabit Instructori ea explicare . Expedit enim ut semper aliquid noui afferat , cum iuisit exercitantem .

De quarta hebdomada.

CAPVT XVIII.

QVARTA HEBDOMADA videtur respondere viæ vnitiuæ : tota enim exercetur in amore Dei , & desiderio æternitatis , cuius tanquā exemplar proponi-

ponitur resurrectio Christi , eaque gaudia, quæ etiam in hoc mundo eam consecuta sunt. Possent etiam hic addi aliquæ meditationes de gloria Paradisi, & de futura iustorum felicitate , cuius pignus accepimus in hoc mysterio resurrectionis Christi, quia iuxta Apostolum, Deus nos etiam conresuscitauit, & confedere fecit cum illo. Quare eo magis excitari debemus ad contemnenda terrena , & cœlestia appetenda, iuxta illud eiusdem, Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærите , quæ sursum sunt sapite, &c.

EXERCITIVM de amore Dei est valde aptum ad amorem nostrum in Deum excitandum , & continet quatuor puncta fœcundissima , & quæ magnam materiam suppeditant ad meditandum. Potest autem duobus modis fieri. Primo iisdē diebus cum aliis mysteriis resurrectionis, ita ut secundo die, postquam cœpta sint mysteria resurrectionis, incipiatur etiam hæc meditatio de amando Deo , eique quotidie vna, aut altera hora tribuatur distincta à meditatione illorum mysteriorum. Al-

F 7 ter

ter modus est, ut absoluantur prius omnia illa mysteria, & deinde integer dies, aut duo dies huic vni meditationi assignetur. Est autem bene notandum, & declarandum exercitanti, quod in eo dicitur, amorem magis pendere ex operibus, quam ex verbis, & consistere in mutua quadam facultatum, & omnium rerum communicatione. Per hoc enim intelligere debet non sufficere sibi teneriorem quandam affectum, quem in se sentiat, neque eo contentum esse debere. Verum est enim quod ait S. Gregorius; Probatio amoris, exhibitio est operis, & amor ubi est, magna operatur, & ubi operari renuit, amor non est. Nec aliud occurrit circa hanc quartam hebdomadam.

De tribus Modis orandi.

CAPUT XIX.

PO ST EXERCITIA adduntur aliqua documenta aptissima, & valde utilia profectui spirituali. Primo autem loco ponuntur tres modi orandi, non ut omnes, qui iam exercitia peregerint,

in